



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

CXXIII. Die Markgrafen Otto und Konrad vereignen dem Domstifte in Brandenburg die Advocatie, Bede und Dienste in Tremmen, am 5. October 1296.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

CXXII. Die Markgrafen Otto und Konrad schließen einen Vergleich mit dem Domcapitel,
am 14. April 1296.

Nos Otto et Conradus, dei gratia Brandenburgenses et de Landesberg marchiones, Cum manifesta recognitione tenore presentium profiteamur, quod ordinationem, factam per venerabilem dominum Johannem episcopum Havelbergensis ecclesie, inter dominos ecclesie Brandenburgensis ex una et nos et nostrorum parte ex altera servare debeamus in hunc modum: Officiales nostri, capitanei, milites et vasalli, burgenses et eorum complices sive servi, quicquid in eorum utilitatem perventum est, per juramentum suum restituent et si quemquam illorum ultra id, quod facti sunt, incusare voluerint de perceptis se expurgabunt infra mensem sub fidei prescripto juramento. Quicquid autem nobis ab officialibus nostris computatum est aut computari adhuc poterit in futurum et in usus nostros est conversum, de hoc dictis dominis et ecclesie, prout nobis cordi extiterit, non coacti infra anni spatium gratiam faciemus. Pro ista facienda gratia moneri volumus non solum ab ipsis dominis verum etiam a nostris de familia et capellanis, quod pro ingrato non portabimus ullo modo. Si autem nos ante gratiam factam sive completam, quod absit, mori contingeret, heredes nostri satisfacent de predictis. De hac gratia eis per nos facienda deo et nobis plenius commiserunt. Insuper milites et vasalli, quicumque dictam formam non servaverint, cum nostra indignatione contra ipsos auctoritate ordinaria et etiam secundum statuta consilii provincialis Magdeburgensis procedent ultimo celebrati. Preterea in favorem predictae ecclesie nos et nostri officiales ipsam ecclesiam Brandenburgensem in quibuscunque poterimus, promovebimus, villas et bona eorum libere et pacifice dimittemus eisdem, sicuti hactenus possederunt. Pro hac etiam causa dicti domini clericos, qui nostre appellationi steterant, non impedient seu molestant. In cujus rei testimonium presens damus scriptum nostris sigillis consignatum. Hujus rei sunt testes: Fredericus de Ecstede, Hasso de Wedele, milites, et quam plures alii fide digni. Actum et datum Angermunde nova anno domini M^o. CC^o. LXXXVI^o. XVIII. Kal. May. per manus domini Zacharie notarii.

Nach dem Originale.

CXXIII. Die Markgrafen Otto und Konrad vereignen dem Domstifte in Brandenburg die
Advocatie, Bede und Dienste in Tremmen, am 5. October 1296.

— Nos Otto et Cunradus, dei gratia marchiones Brandenburgenses, notum facimus omnibus Christi fidelibus, quod in nostre et heredum et successorum nostrorum animarum salutem sempiternam donamus et appropriamus preposito, capitulo et ecclesie Brandenburgensi advocatiam omnem et quamlibet precariam et petitionem nec non omne et quodlibet servitium, quibus nominibus valeant nuncupari, ville Tremmen, pertinentis ad dictam ecclesiam Brandenburgensem perpetuis temporibus in perpetuum habendum, renunciantes pro nobis, heredibus et successoribus nostris ad usum proprietarium dictorum prepositi, capituli et ecclesie prefatis advocatie, precarie, petitioni et servitio nec non omni juri, actioni et impetitioni, quod vel que nobis, heredibus et successoribus nostris in eisdem advocatia, precaria, petitione et servitio competeat, competit seu competere poterit aliquantulum in futurum, nichil nobis, heredibus et successoribus nostris in supradicta villa Tremmen referentes. Ut autem hec donatio et appropriatio in perpetuum permaneat, et ne in posterum per nos,

Sauptsh. I. Bd. VIII.

24

heredes nostrosque successores seu quemcunque vel quoscunque nostri, heredum et successorum nostrorum officiatum vel officiatos quomodolibet infringatur, presentem litteram ex certa nostra scientia conscriptam ecclesie Brandenburgensi sepe dicte dari fecimus, sigillorum nostrorum muniminibus roboratam. Testes hujus rei sunt Johannes de Oldenvlit, Haffo de Wedele, Albertus de Clepzk et quam plures alii fide digni. Actum et datum Prinzelaw, anno domini M^o.CC^o.LXXXVI, feria sexta post diem beati Michaelis.

Nach dem Originale.

CXXIV. Der Papsst Bonifacius VIII. bestätigt den Domherren zu Brandenburg das Recht, ihre erblichen Besitzthümer, auch als Domherrn, beizubehalten und nach ihrem Willen darüber zu verfügen, am 5. Dezember 1296.

Bonifacius episcopus, servus servorum dei, dilectis filiis preposito et capitulo ecclesie Brandenburgensis, Premonstratensis ordinis, salutem et apostolicam benedictionem. Devotionis vestre precibus inclinati auctoritate vobis presentium indulgemus, ut possessiones et alia bona mobilia et immobilia, que personas liberas canonicorum vestrorum, mundi relicta vanitate, ad ecclesiam vestram convolantium et professionem facientium, in eodem jure successionis vel alio justo titulo, si remansissent in seculo, contingissent, et que potuissent aliis elargiri, feudalibus duntaxat exceptis, petere, recipere ac retinere libere valeatis sine juris prejudicio alieni. Nulli ergo omnino hominum etc. Datum Rome, apud sanctum Petrum, non. Decembris, pontificatus nostri anno secundo.

Nach dem Originale.

CXXV. Der Papsst Bonifacius VIII. gibt dem Propste in Bernau auf, die dem Domcapitel in Brandenburg entfremdeten Güter demselben wieder zuzustellen, am 5. Dezember 1296.

Bonifacius episcopus, servus servorum dei, dilecto filio preposito ecclesie de Bernow, Brandenburgensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram pervenit, quod tam dilecti filii, prepositus et capitulum ecclesie Brandenburgensis, Premonstratensis ordinis, quam predecesores eorum decimas, terras, domos, possessiones, ortos, vineas, grangias, prata, pascua, piscarias, silvas, maneria, nemora, molendina, jura, jurisdictiones et quedam alia bona ipsius ecclesie, datis super hoc litteris, factis renuntiationibus, juramentis interpositis et penis adjectis, in gravem ipsius ecclesie lesionem nonnullis clericis et laicis, aliquibus eorum ad vitam, quibusdam vero ad non modicum tempus et aliis perpetuo ad firmam vel sub censu annuo conceperunt, quorum aliqui super hiis confirmationis litteras in forma communi a sede apostolica impetrasse dicuntur; quia vero nostra interest super hoc de oportuno remedio providere, discretionis tue per apostolica scripta mandamus, quatinus ea, que de bonis ipsius ecclesie per concessionem hujusmodi alienata inveneris illicite vel distracta, non obstantibus litteris, renuntiationibus, juramentis, penis et confirmationibus supradictis, ad jus et proprietatem ejusdem ecclesie legitime revocare procures, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo; testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio